

164 182.
Bohemie, ubi devotis adiutorio Christianifidelium
caractere crucis signatorum pluribus munitionibus
perfidorum cum magno honoris preconio repatriavit.
Fecit in episcopatu anni 48. Obiit anno domini 1463.

Additamentum cod. 2. ³¹

Tempore electionis Frederici de Kerwarden cives Colonienses violenter
infregerunt clero libertates ecclesiasticas, propter quod clerus universaliter
civitatem Coloniensem exiit, et in Runna curia Coloniensis fuit. Sed
postea 1370 dominus papa Frederico de ecclesia Coloniensi providit,
et eodem tempore clerus ^{et} cives Colonienses super dissensionibus
inter eos habitis fuerunt compositi restitutis ablatiis.

Anno domini 1372 dominus Fredericus castrum Nuenar antiquum
et forte per comitem de Weda occupatum scilicet Salentinum comi-
tem de Isenburch circumvallans festine infra 10 dies cepit ac destruxit.

Anno domini 1373 dominus Symon tituli sancti Sixti presbyter
cardinalis, qui fuerat legatus in Anglia, in vigilia penthecostes venit
Coloniam et in die sancto celebravit in ecclesia maiori missam sum-
mam clero ibidem congregato. Qui post dies 8 Renum navigio adven-
dit munera nulla recipiens nisi esculenta et potulenta in brevi
consumenda.

Anno domini 1373 ^{a)} in mense septembris Fredericus archiepiscopus
destruxit castrum Johannis de Nuenar in Mertenich. Deinde Lum-
borkus advocatus Coloniensis diffidavit domino Coloniensi. Qui tunc
adiutorio dominorum Treverensis et electi Maguntinensis vio-
lenter in mense octobri obsedit castrum predicti advocati in
Larslorp et ipsum ceptum totum destruxit. Interea castellum
Helpensteyn, quod idem advocatus erexerat, advocati amici
qui custodiebant ignibus cremaverunt fugientes. Et episcopus

³¹ Sequentia exant in cedula cod. 2 insula; scripta sunt manu saec. XV. ex.

² cleri cod. a) Ita ex 1384 corr. cod.